



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qualitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

326. An etiam excommunicati tempore electionis, postulationis, præsentationis, dein absoluti confirmatio, institutio, ipso jure sit nulla.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)



## CAPUT TERTIUM.

DE CONDITIONIBVS ELIGENDORVM, AVT ALITER  
PROMOVENDORVM AD BENEFICIA MORALIBVS, PVTA CA-  
RENTIA CENSVRARVM, HONESTATE MORVM,  
BONA FAMA, MONOGAMIA.

## PARAGRAPHVS I.

## De Carentia Censurarum.

*Questio 325. Num excommunicatus excommunicatione majore, sive ea lata sit à jure, sive ab homine; sive per sententiam generalem, sive particularem; sive denunciatus, sive toleratus, etiam occultissimus, & putatus, absolutus ab excommunicatione, sit ineligibilis, aliterve improvincibilis, seu inhabilis, non tantum ad prelaturas, & dignitates, aut officia habentia annexam jurisdictionem, sed ad quacunque alia beneficia, tam regularia quam secularia, etiam ad obtinendas pensiones, ita ut ejus electio, postulatio, presentatio, & alia quacunque promotio, etiam facta à Pontifice motu proprio, uti & quævis permutatio, resignatio in favorem ejus facta, sit ipso jure nulla, veniatque talis excommunicatus in conscientia prelaturam, officium, beneficium, ad quod promotus est, & pensiones, quas obtinuit, dimittere?*

**R**espondeo affirmativè. Pass. *cit. c. 25. num. 445.* referens plures TT. scholasticos. Garc. *de benef. p. 7. c. 13.* referens plures Canonistas, sumitur ex *c. postulastis. de Cleric. excom. ibid. Barb. & Canonista communiter. item ex c. pastoralis. de appell. & c. 1. de rescript. in 6.* Veraque quoque hæc sunt, etiam si excommunicatio sit à parte rei injusta (modò tamen sit ritè lata, si enim lata delicto non satis probato, non tantum injusta, sed invalida est. Pass. *n. 451.*) v. g. dum delictum non est verum, sufficienter tamen probatum, in foro enim externo talis excommunicatio habenda est pro valida. Garc. *loc. cit. n. 11. Barb. loc. cit. n. 4. Pass. loc. cit. n. 446. Rebuff. ad c. postulastis. n. 67. Sayr. de Cens. l. 2. c. 5. n. 10.* Nihilominus, licet si talis excommunicatus injustè, scienter eligeretur, cassanda foret electio, non est tamen ipso jure nulla, quia dum talis eligeretur bona fide ab ignorantibus illum esse ullo modo excommunicatum, detectà postmodum excommunicati innocentia, cassanda non foret ista electio. Pass. *loc. cit.* vide de his Suar. *de Cens. d. 4. s. 7.*

*Questio 326. An ergo etiam excommunicati tempore electionis, postulationis, præ-*

*sentationis, dein absoluti confirmatio, & institutio ipso jure sit nulla?*

**R**espondeo affirmativè. in his enim spectandum est initium, nimirum tempus electionis, presentationis, & quod ab initio nullum est, validari aut confirmari nequit. Abb. *ad c. postulastis. ibid. Barb. n. 10. & 13. Lambert. de jurepat. l. 2. p. 1. q. 9. a. 10. n. 1. Garc. loc. cit. n. 8. & 14. Suar. de Cens. d. 13. s. 1. Pass. n. 448.* citans plures alios. Verumque id est, etiam si Electores vel patronus excommunicationem ignorarint, ignorantia enim excusat à culpa, non tamen validat actum, quem irritavit Ecclesia. Suar. *loc. cit. num. 2. & 30. Garc. loc. cit. nu. 9. Pass. n. 450. Azor. p. 2. l. 6. c. 7. q. 8.* Idem dicendum de permutatione putat Pass. ex Suar. contra Garc. *n. 19.* (quæ etsi valeat ex parte ejus, cum quo permutat, si permutans est excommunicatus toleratus, Sanch. *l. 2. opusc. c. 2. dub. 13. n. 2.* non tamen ex parte permutantis excommunicati, utpote qui incapax est, de novo acquirendi illud jus super beneficio, pro quo ipse resignat suum) nimirum collationem absoluti ab excommunicatione esse invalidam, dum permutans in ea fuit tempore resignationis, ejusdemque acceptationis ab Episcopo. Certum de certero, collationem talem factam excommunicato, esse nullam, etsi is econtra tempore resignationis ejusdemque acceptationis non fuisset excommunicatus, Azor. *loc. cit. Suar. loc. cit. n. 12. Garc. n. 15.* citans Paris. Rebuff. &c. Quod si tamen confirmator, dum is est talis, ut is sine electione possit instituere Prælaturam, conferre idem beneficium &c. sciens defectum electionis ob electum excommunicatum, post eundem jam absolutum, confirmet talem electionem, dici posse, ait Pass. *n. 452.* confirmationem esse validam, non titulo confirmationis, sed collationis, seu institutionis. Sic etiam collator potens absolvere ab excommunicatione, dum alicui, quem scit esse excommunicatum, confert beneficium, censetur eum absolvere, & ita is prius absolutus validè promovetur. Covar. *in c. alma Mater. s. 7. Peyr. in præl. q. 2. c. 5. n. 1. Sayr. de Cens. l. 6. c. 5. n. 11.*

*Questio 327. Qualiter se gerere debeat excommunicatus electus?*

**R**espondeo: si est manifestus, tenetur omnino non consentire electioni, nec recipere Prælaturam. si est occultus, & potest sine scandalo, & infamia resistere, tenetur resistere, obtendendo alias causas rationabiles suæ resistantiæ, vel etiam manifestando suam excommunicationem. Secus si id non possit sine scandalo, & sique gravi infamia. Tenetur tamen talis, vel etiam confirmatus nulliter